



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1615.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

lebrat ; ingesta ibi quæstio ab Ordine Plebejorum de potestate summi Pontificis in Reges ab ordine Ecclesiastico & nobilium, & sanctiori Regis concilio statim supprimitur.

Persecutionem in Japonenses Christianos dirè urget Rex Cubo-paganus, Anglorum præcipuè & Batavorum artibus, qui ad reddendam sibi negotiationis viam faciliorem mentiuntur Regi, id unum agi à Catholicis, ut Hispanis & Lusitanis pateat aditus ad occupandam Japoniam.

Spinola Aquisgranum & Mülhemium, urbes Cæsari adversantes, comprimit.

*ANNUS 1615.*

**R**omam deferuntur mense Januario litteræ à Gabriele Gangrensi in Paphlagonia Episcopo, quibus agnoscit primatum Romani Pontificis. In eunte Octobri eidem obsequium defert per equitem Vandomiū Henrici IV. filium naturalem Ludovicus Rex Gallia, quod hoc ipso mense exeunte præstant etiam legati missi ab Idate in Japonia Rege Voxu.

Correspondentes conveniunt Norimbergam præsentibus legatis Regum Francia, Angliæ, Daniæ, & Ordinum fœderatorum Belgii. *Ann. Boici.*      **B**      **Men-**

Mense Julio in conventu Cleri Gallicani Parisiis habito satagente imprimis Cardinali Rupi Focaldo unanimiter recipitur Oecumenicum Concilium Tridentinum.

Inter Sabaudum & Hispanum, qui partes tuebatur Mantuani in causa Montferratensi, pax constituitur.

Eadem instauratur Viennæ in annos 20 cum Cæsare à legatis Turcicis; inter Polonos verò & Moschos frustra tentatur.

Chamus Tartarorum Tauricanorum devastat Russiam, Russi econtra Ducibus Vifnovocio, & Corecio depopulantur Daciam occiso ejusdem Regulo, in cujus locum sufficiunt Michailonem.

Patriam suam gloriosâ morte hoc anno illustravit Joannes Ogilbeus nobilis Scotus Soc. Jesu Sacerdos, in odium fidei Catholicæ trucidatus ab hæreticis in urbe Glasguensi Regni Scotiæ.

### *ANNUS 1616.*

**I**nter Hispanum & Sabaudum recrudes-  
cit bellum in Italia, & acriùs quàm antea geritur, nescio Sabaudis minis Hispanicis cedere; pacem interim procurantibus Paulo V. per Archi-Episcopum Bononiensem, & Rege Galliæ per Philippum Bethunium.

Mense